IESVS, MARIA, IOSEF, Y S. BERNARDO.

VOTA, ET MOTIVA; PRAESTITA IN PROCESSV DOMNÆ MARGARITÆ ABARCA, ET VILANOVA.

Super Apprehensione.

ACTVARIO IOSEPHO VILLARREAL Scriba Mandati.

IN DEI NOMINE, Amen. Noverint Universi, quod anno à Nativitate Domini, millesimo, sexcentesimo, octuagesimo tertio, die vero, quæ cōputabatur vigesima septima mēsis Septembris, apud Civitatē Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Cōsilij Civilis, præsentis Regni Aragonum, intervenerunt Magnifici Domini. DD. D. Martinus Franciscus Climente Regens Cancellariam, D. Carolus Bueno, & Piedrafita, D Hieronymus Marta, & Mendoza, D. Antonius Blanco, & Gomez, Regij Consiliarij Ordinarij, & Magnificus Doctor D. Miehael Gil, Regius Consiliarius extraordinarius, causæ Relator, pro Magnifico Doctore Don Bartholomeo Perez de Nueros Regio Consiliario ordinario, pro suspecto dato, & declarato. Corā quibus fuit positus, *Processus, Domnæ Margaritæ Abarca, & Vilanova, super Apprehēsione*; In quo tres ex dictis Dominis Regijs Consiliarijs, fuerunt voti, & opinionis.

Quod *D. L. G.* Attent. content. de Consilio tenetur, & debet Pronuntiare, & in bonis sub numero quinto in fine appellitus confrontatis, & respectu iurisdictionis sub numero sexto specificatæ, bonorum dicti numeri quinti, mandare fieri contenta in propositione vicarij, Beneficiatorum, & Capituli, Ecclesiæ Parochialis Sācti Petri, Civitatis Oscensis, principalis Emanuelis Ioannis Villaverde Procuratoris, cum expensis, Iuribus suis durantibus.

Et in cæteris bonis, & finitis Iuribus dictorum Vicarij, & Capituli Sancti Petri, in bonis, & Iuribus dictorum numerorum quinti, & sexti, contenta in propositione Domnæ Mariæ Theresiæ Lopez de Heredia, principalis Emiliani Martinez Procuratoris, cum expensis, sua viduitate durante; *Et supradictis*

Iuribus finitis, in omnibus bonis, mandare fieri contenta in propositione Tutorum, & Curatorum personæ, & Bonorum Domnæ Mariæ Victoriæ Abarca pupilæ, principalis Francisci Ybañez Procuratoris. *Præstita* prius per Partes respectivè, cautione forali; Cæteris propositionibus repulsis: Reservatis Iurib' reservari supplicantibus; Neutram partium in expensis (demptis prædictis taxandis) condemnando: Cætera supplicata locum non habere.

Ex eo, & aliás recipitur propositio Capituli Ecclesiæ Parrochialis Sancti Petri, Civitatis Oscensis, super bonis numerorum quinti, & sexti prout in sententia; Quia in favorem illius, D. Antonius Abarca dominus, & possessor illorum, die 4. mensis Iulij anni 1551. obligationem censuariam confecit.

Et finitis dictis Iurib', & in cæteris bonis, admititur propositio, Domnę Mariæ Theresię Lopez de Heredia; Quia in pactis nuptialibus, initis inter eam & D. Antonium Abarca, annuam quantitatem decem mile solidorum Iaccensium, & habitationem super bonis numeri septimi, sua viduitate durante, illi concessit. Et licèt bona sequestrata, D. Antonius, vt maioratus successor posideret, sed cum super bonis immobilibus & si vinculatis) iuxta forales sanciones, vniversalis viduitas, etiam absque pacto vllo contrahentium, superstiti coniugi competat, æquali & maiori ratione, in pactis nuptialibus limitata, competere debet; Quæ in favorem coniugis superstitis, naturam dominij, vel crediti induit, prout ei magis expedire censuerit; Et ex eo, fuit recepta illius petitio cum expensis, & pro pensionibus ante sequestrum decursis, prout in Tribunalibus huius Regni superioribus, pluries decissum reperitur.

Supradictis iuribus extinctis, propositionem tutorum D. Mariæ Victoriæ Abarca iure plenij dominij fore admittendam decernimus. Quia D. Laurentius Abarca anno 1607. in tabulis nuptialibus, D. Sãctio eius filio primogenito, bona nunc sequestrata, donavit, *in 1. & 2. clausula* stabiliens, Vt post eius obitum, illius filij, & descendentes masculi legitimi, perpetuo per viã maioratus succederent, cum onere armorum, & insignium, nominis, & familiæ de Abarca. In sequentibus clausulis dicto D. Sanctio concedẽdo, facultatem ad eligendum vnum ex suis filijs, & si electi nem non fecerit, Voluit filium maiorem masculum succedere.

Quæ eadem facultas fuit permissa, D. Sanctij successoribus, ita vt istis non eligentibus, succedere deberet filius maior masculus illorum descendentium; & in deffectum liberorum per rectam lineam masculinam filij dicti, D. Sãctij, qui successor maioratus fuerit, posset ille eligere, alterum descendentem masculum aliorum filiorum masculorum D. Sanctij. Et non facta electione, esset succesio defferenda, filio istius maiori masculo, & hoc deficiente, descendenti maiori, & propinquiori masculo, rectę lineæ masculinæ.

In quorum omnium deffectum substituit *in 7. clausula*. D. Ioannẽ Abarca filium secundogenitũ, eiusque filios, & descendentes masculos legitimos; Et his defficientibus *in clausula* 4. alios filios, & descendentes masculos ipsius. D. Laurentij Vinculantis, & omnes, *cum*

eis-

eisdem probibitionibus, facultatibus, conditionibus, & forma succedendi, inter descendentes masculos D. Sanctij, in prioribus clausulis, præscriptis.

Quibus non existentibus, in *clausula 9.* substituit ipsum D. Sanctiũ, & filias ~~et~~ descendentes legitimas illius, cum eisdem facultatibus, & forma succedendi; Præferendo *semper* filias dicti matrimonij, filiabus alterius, quod posset contrahere D. Sanctius, & præferendo, *eodem modo*, masculos fœminis.

Et cum dictus D. Sanctius procreaverit filios legitimos D. Antonium, & Domnam Margaritam, & ista, Antonium Perez de Nueros; Obeunte dicto D. Antonio Abarca; superstite tantum, eius filia legitima D. Maria Victoria; inter istam, & Antonium Perez de Nueros, sequestratorum bonorum successio controvertitur. A D. Maria Victoria, vt filia vltimi possessoris maioratus, & ab Antonio Perez de Nueros; vt descendente masculo Don Lanrentij Vinculantis, contendente, fuisse constitutum in 1. & 2. scripturæ clausulis, Maioratum perpetuum simplicis masculinitatis, ex verbis sequẽtibus, ibi: *Que despues de la muerte de Don Sancho, ayan suceder, como en bienes de Mayorazgo, sus hijos, y descendientes masculos legitimos perpetuamente, con esto empero, de que ayan de llevar el nombre, y armas de Abarca, y que aya de suceder vno solo.*

Et quod etsi, In posterioribus pactorum nuptialium clausulis, concessa fuerit D. Sanctio, facultas eligendi vnum ex suis filijs masculis, simulque illius successoribus, ad eligendum alium descendentem masculum; Et in casum non factæ electionis à D. Sanctio, esset defferenda successio eius filio maiori masculo; Et non eligentibus, illius successoribus, descendenti eorum masculo maiori Agnato, & propinquiori; sed quia in casu vtendi prædicta facultate, non fuit in descendente eligendo, qualitas lineæ masculinæ expressa. Potuisse Don Sanctium, eiusque successores, eligere descendentem masculum cognatum contenditur, simulque ex eo, solum fuisse maioratum agnatitium prælativè constitutum, sed non cum exclusione maioratus simplicis masculinitatis in 1. & 2. *clausula* instituti; Cuius virtute esse præferendum dictum. Antonium Perez de Nueros. D. Mariæ Victoriæ (& si filiæ vltimi successoris) ab illo prætenditur.

Quia descendenti fœminæ substitutæ in *clausula 9.* præcedere debent, defficientibus masculis agnatis, etiam non facta electione, omnes qui, si electio fieret, possent ad maioratus successionem eligi.

Quibus augentur verba conditionalia *clausularum 7. 8. & 9.* in quibus positi in conditione generalitèr reperiuntur, descendentes masculi ad impediendas substitutiones posteriores; Et si in prioribus clausulis solum essent descendentes agnati D. Sanctij, instituti, fuisset in verbis conditionalibus, expressa in illis, qualitas lineæ masculinæ.

Sed superiora esse irrelevantia, vniformi assensu censuit Senatus intelligens, pro adversantis intentione perpensa, procedere posse, si in 1. & 2. *clausula*, vinculans, descendẽtes masculos agnatos, & cognatos D. Sanctij expresè vocasset,

quo

quo in casu, vt in posterioribus immediate nō se corrigere diceretur; de maioratu agnatitio prælativo (vt prætenditur) & non de absoluto, esset illius voluntas interpretāda

Sed cum in *d. clausula* 1. & 2. non eo modo, sed generaliter descendentes masculos D. Sanctij vocaverit, & *quando quis rogatus invenitur restituere hæreditatem, si sine liberis decesserit*, & vertitur in dubium *de quibus liberis testator senserit, ex dignitate, voluntate, ac conditione qui fidei commissit, est accipiēda eius voluntas*. Ita in præsentiarum, ex integra contextura pactorum nuptialium, est vinculantis accipienda voluntas, ad intelligendum, *de quibus descendentibus masculis in* 1. & 2. *clausula senserit*; Et hoc non tam per viam correctionis, quam declarationis; Quia non tam facile, se expedire solent vinculantes, quod in vna, vel altera clausula scripturæ, possint perfectè illorū intentionē exprimere.

Quæ D. Laurentij maior declaratio infertur, ex verbis: *de esta manera*, cum quibus eius dispositionem in 3. *clausula* prosequitur, declarans, non alios descendentes masculos D. Sanctij, in 1. & 2. instituere voluisse, nisi de quibus in sequentibus loqueretur. Et quod solum de agnatis in illis senserit, etiam in casu electionis efficiendæ, sequentia convincunt.

Quia facultas fuit in *d.* 3. *clausula* D. Sanctio cōcessa, ad eligendum vnum ex filijs primi gradus, quartam ætatis regulam dispensando, ibi: *A vno de sus hijos masculos, el que mas querrá*; Quia, & si, ad perpetuitatem vinculi, appellatione *suorum filiorum*, vlteriorum graduum filij valeant, comprehendi, Non tamen ad extensionem facultatis, regularum maioratus, correctoriæ, quæ vt odiosa, est restringenda, vt minus illius naturam limitet. Licèt mortuo aliquo ex filijs primi gradus, posset eius filius, in locum sui defuncti patris subrrogatus, iuxta *Forum Vnicum*, tit. *de fideicommissis*, ad maioratus successionem eligi, quia facultas eligendi, censeri debet concessa, inter eos, qui non facta electione possent in eo succedere.

Et quamvis in *clausula* 5. vltimo descendenti agnato lineæ primogenitæ D. Sanctij; (qualis fuit D. Antonius Abarca) concessa fuerit facultas eligendi, alium descendentem masculum alterius lineæ Don Sanctij; sed cum in *clausula* 4. eadem, & non alia facultas fuerit permissa vltimo agnato, quæ fuit concessa D. Sanctio, ibi: *La qual dicha facultad tenga qualquiere successor de dicho Don Sancho*: Si iste (ex supradictis) eligere non poterat, nisi vnum ex filijs primi gradus. Idē inteligēdū erit de vltimò descendente agnato; Aliter laxiorem facultatem ad eligendum haberet, quam D. Sanctius, qui fuit à Vinculante predilectus.

Ergo si electio ex his, restricta intelligi debet ad filios primi gradus, solum in passiva facultate eligendorum, descendentes masculi agnati compræhensi reperientur.

Quæ efficaciter comprobantur ex tenore dictæ *clausulæ* 5. ibi: *En tal manera, que si aconteciesse faltar todos los descendientes legitimos por recta linea masculina del hijo de dicho D. Sancho (que como dicho es, sucederá) y hubiere otros hijos, y descendientes masculos legitimos de dicho D. Sācho, haya suce-*

ceder el que de ellos eligiere el vltimo successor; Quæ verba, *Que como dicho es sucederá*, præsupositive, per viam dispositionis, declarāt, non alios liberos Don Sanctij succedere posse, nisi qui per lineā masculinam descenderint.

Et cōcessa facultate vltimo successori agnato, in deffectum descendētium per lineam masculinā D. Sanctij primogeniti, ad eligendū aliū descendentem masculum, dicti successoris eligentis transversalem, Evincitur, illum agnatum esse debere; Aliter sequeretur, vltimū successorem, non posse eligere suū descendentem cognatum, cū respectu illius, non reperiatur ei *tale* concessa facultas, & posse eligere, masculum cognatum lineæ minus prædilectę, quod (vt absurdum) non est admittendum.

Substitutisque *in clausula 9*. in deffectum omnium primo institutorum, non solum filiabus, & descendentibus fœminis D. Sanctij, sed masculis ex illis procedentibus (vt infra dicetur) colligitur, Virtute huius discretivæ vocationis (ne cēseantur descendentes masculi cognati, ipsis substituti) solū in priorib9 clausulis, descendentes masculos agnatos D. Sāctij, vocatos reperiri.

Et quamvis ad elidendam vim huius discretivæ vocationis, queat excogitari, descendentes masculos cognatos, fuisse in *clausula 9*. substitutos, casu quo, illis deffîcientibus, esset fœminis delata succesio, si postea nascerentur; Hoc posset procedere, si aliæ conjecturæ defficerent, in favorem maioratus agnatitij; Sed concurrentibus pluribus tam literalibus, Auget illorum efficaciam, discretiva vocatio.

Incrementūque accipit ex diversitate oneris, armorum, & insignium familiæ de *Abarca* impositi sine *mixtura* in dicta *clausula 9*. descendentibus masculis cognatis in ea substitutis, quod sine illa qualitate, fuerat præfixum descendentibus masculis D. Sāctij in prioribus clausulis institutis; Quos verosimiliter, noluit eo modo vinculās gravare; Quia in Descendentibus agnatis, de quibus in eis fuit loqutus, superflum iudicavit.

Quin superiora evertant, verba cōditionalia 7. 8. *& 9. clausularū*, Vbi descēdētes masculi, absq; qualitate lineæ masculinæ reperiuntur vocati, ad impediendas vlteriores substitutiones; Quia verba conditionalia, maiorem nequeunt habere efficatiam; quam voluerit vinculans; Nec priorum masculorū agnatorum vocationem, tot literalibus argumentis roboratam, infringere; Imò censeri debet, eos tantum descendentes masculos in conditione positos, qui in prioribus clausulis solum fuerūt instituti; Ex quo verba conditionalia, vt limitēt, aut prorogent dispositiva antecedētia, concurrere debent aliæ conjecturę restrictionem, aut extensionē suadentes; Quæ in præsentiarum cessant, & in contrarium militant.

Neque cōgrua dispar ratio excogitari valet, ad intelligendū, cur in casu non factæ electionis, sit maioratus agnatitius Institutus. Et si facultate eligendi D. Sanctius, vel eius successores vterentur, quod possent eligere, ommissis & spretis agnatis, descendentem masculum cognatum, vt fuit prætensum.

Progreditur. Antonij Perez de Nueros oppositio, aserentis: Quod & si ex supradictis, non veniret maioratus successor declarādus,

dus, & regulanda esset succesio per substitutiones *in clausula 9.* praescriptas, esse adhuc praeferendum, D. Marię Victorię; Quia contendit, in dicta clausula, fuisse etiam praelative constitutum maioratum simplicis masculinitatis ex verbis sequentibus: *Prefiriendo SIEMPRE la hija de el presente matrimonio á las de otro ú otros q̃ contraxere dicho D. Sancho Abarca, Y prefiriendo ASSI MESMO los varones a las hembras.* Quae masculorum perpetua praelatio, derogare videtur, maioratus regularis, & ordinarij naturae, praecipuę quādo vinculū primo fuit institutum inter descendentes masculos agnatos (vt in praesentiarū intelligitur) cum isti magis symbolizent cum masculis cognatis, quam cum foeminis, & in habentibus symbolum, facilior sit transitus.

Sed supradictae objectioni, satisfit. *Primò*: Quia eandem praelationem desideravit D. Laurentius, inter masculos, & foeminas, quam praescripserat, inter filias primi, vel alterius matrimonij D. Sāctij, Quarum perpetua praelatio, erat solum, inter foeminas eiusdem lineae, & gradus, cum esset restricta, inter filias D. Sāctij, primi, & alterius matrimonij; Ergo, & praelatio perpetua masculorum (vt eadem sit) debet intelligi, intra eumdem gradum, & lineam.

Secundo. Quia adhuc, quando fuisset a Vinculante dispositum, masculos, foeminis *semper* praeferri debere, Esset eius accipienda voluntas, de praelatione perpetua inter eandem lineam; Quia etiam desideravit inter foeminas, & descendentes masculos, regulari semper succesionem, per viam maioratus: Quarum regularum, perpetua observantia esse nequit, si masculorū praelatio, intra eandem lineam restricta non intelligatur: *Vt concordi voto fuit in hac Regia Audientia decissum, die* 27. *Martij, anni* 1656. *in Processu Petri Catalan de Ocon, super Apprehensione; Et die* 27. *mensis Iulij anni* 1671. *In Processu Appellationis Domnae Iosephae de Gurrea & Cerdan, super Appraehensione Varoniae de Torres.* Et in Sacro, & Supraemo *Regni Aragonum Consilio die* 26. *mensis Iunij anni* 1675. *in causa Status Sugurbij.*

Quin relevet, fuisse in praesentiarum maioratum agnatitium primo constitutum: Quia cum foeminarum descendentium exclusio, fuerit ratione agnationis, & non simplicis masculinitatis conservandae; Ex eo, agnatis defficientibus, antea succedere debent foeminae prioris lineae, quam masculi cognati, posterioris. Cum magis, dispositionibus juridicis, & regulis maioratuum conformior sit, reddere succesionem ad foeminas temporaliter propter masculos agnatos exclusas, contra naturam vinculi regularis, & ordinarij, quam ad descendentes masculos cognatos, licet isti, magis symbolizent cum agnatis.

Ex quibus etiam, concordi voto, censuit Senatus, contra praelationem Antonij Perez de Nueros, ex eo capite praetensam.

Denique pro illius parte, eadem contenditur, vt cesionario D. Margaritae Abarca eius matris, cui succesionem ex ipsa *clausula 9.* pertinere asseritur, Etiam si ea sit defferenda, iuxta naturam maioratus regularis, & ordinarij, attentis illius quatuor regulis, *lineae, gradus, sexus, & aetatis.* Et

Et quia super hoc, fuerunt duorum DD. Cōsiliariorum divisa suffragia, in illius discusione, discursus boni dem, intensius mittere decrevimus. Litera *clausulæ 9.* sequens est.

Y faltando la descendencia legitima de masculos de los dichos D. Sancho, Don Iuan, y Don Lorenço Abarca (segun dicho es respectivamente) sucedan en los bienes de dicho Mayorazgo, el dicho Don Sancho Abarca, y sus hijas hembras legitimas, y sus descendientes legitimos perpetuamente, Con la misma prohibicion, facultad, condiciones, forma, y llamamientos en dicho D. Sancho, y sus descendientes especificados, y no de otra manera: Et sic per viam maioratus, & primogenituræ in prioribus clausulis præscriptæ.

In quibus verbis, fuit ipse Don Sanctius primus maioratus successor, ipsi substitutus, in deffectum descendentium per lineam masculinam, illius, & D. Ioannis eius fratris, & D. Laurentij vinculantis, qui per renunciationem ipsius D. Sanctij in maioratu succedere potuissent. Et cum per obitum D. Antonij Abarca, sine filijs masculis, (mortuo antea D. Sanctio) sit regulanda successio inter filias, & descendentes legitimos istius, quia dictorum D. Laurentij, & D. Ioannis, nulli alij liberi existunt, Vertitur in dubium, An iuxta substitutionem in *dicta clausula* præscriptam, succedere prius debeant D. Margarita (vt filia D. Sanctij) eiusque descendentes, Quam D. Maria Victoria, dicti D. Antonij Abarca, filia; In cuius favorem, se-
4 quentia militant.

Primo. In dicta *clausula 9.* non solum vocatam reperiri, D. Margaritam, vt filiam D. Sanctij; sed D. Mariam Victoriam, vt neptem illius: Quia in ea, non solum fuerunt substitutæ, filiæ primi gradus dicti D. Sanctij. Sed etiam istius, legitimi descendentes, ibi: *Sus hijas hembras, y sus descendientes legitimos.* Quorum appellatione, tā filiæ, quā aliæ fœminæ ex D. Sanctio procedentes comprehenduntur: Quia si verbum adjectivum *sus* informans substantivum *descendientes*; Non referret istos, ad personam D. Sāctij, Sed tantū ad illius filias, sequeretur, Quòd solū descendentes fœminæ filiarum D. Sanctij; Et non, filij masculi primogeniti, essent vocatæ, cum in alia pactorum nuptialium clausula, istæ non inveniantur substitutæ; Ex quo esset dicendum, à successione maioratus, perpetuo exclusas reperiri, quod absurdum, nequit fateri.

Et cum in verbis conditionalibus, *clausularum* 10. & 14. omnes descendentes fœminæ D. Sanctij, ad impediendas vlteriores substitutiones, positæ inveniantur, Ex hac verborum conditionalium conjectura, (Iuncta, cum supra perpēsis). Colligitur, omnes fœminas, tam ex filiabus, quam ex filijs D. Sanctij descendentes, in substitutione dictæ *clausula 9.* fore comprehensas.

Secundo. Quia supposita, ex hijs, vocatione. D. Mariæ Victoriæ in eadem substitutione, in qua fuit vocata D. Margarita, sunt in favorem D. Mariæ Victoriæ, vt filiæ, D. Antonij, & neptis dicti D. Sanctij; quatuor regulæ maioratus ordinarij, iuxta cuius naturam, est ex supradictis, inter vtrasque deferenda successio; Quia D. Sanctius, per ma-

maioratus succesionem, prærogativam lineæ acquisivit, non solum in favorem D. Antonij eius filij primogeniti, respectu aliorum filiorum masculorum ipsius D. Sanctij, vt succederet, virtute maioratus agnaticij in primis clausulis instituti, sed his defficientibus (etiamsi ante delatam succesionem D. Antonius decesisset) in favorem D. Mariæ Victoriæ eius neptis, contra D. Margaritam, vt illa prius succedat. Iuxta maioratum regularem, & ordinarium; Quia linea substantiæ, sive succesionis, quam legitimus maioratus possessor acquirit, non solum transfert in filium eius primogenitum, si tempore delatæ succesionis sit superstes: sed eo prædefuncto, in istius descendentes; Et cum per obitum dicti D. Sanctij, fuerit etiam successor maioratus eius filius primogenitus D. Antonius; Eadē lineæ prærogativa, substantiæ, in eius filiam D. Mariam Victoriam fuit derivata, contra D. Margaritam, & eius descendentes fœminas, & masculos, tanquam posterioris lineæ. Cuius virtute, obitu dicti D. Antonij, eius filiæ D. Mariæ Victoriæ, fuit indubiè, delata succesio.

Nec relevat. Quod fuit oppositum, asserendo, Prærogativas lineæ, substantiæ, & succesionis, à D. Sāctio, eiusque filio primogenito acquisitas, prodesse non posse D. Mariæ Victoriæ, quia cum eas acquisierint, vt successores maioratus agnatitij, transferre in favorem illius non potuisse, cum incapax sit succedendi in maioratu agnatitio D. Maria Victoria; Et cū eo extincto, sint *in clausula 9*. ipse D. Sanctius, eiusque filiæ, & descendentes legitimi vocati, non tam esse regulandam succesionem ex dicta prærogativa lineæ. Quam ex qualitate, & forma substitutionis in dicta *clausula* à vinculante, præscripta. Quia prius attendi debet, linea magis qualificata, quam primogenituræ; Et cum in ea, fuerit iterum vocatus ipse D. Sanctius (si superviveret) & in eius (tempore delatæ succesionis) defectum, *ipsius filiæ*, *& sui descendentes legitimi*; Prius debere D. Margaritam, & eius descendentes succedere, ex vocatione magis prædilecta, qua fuerunt in dicta clausula, filiæ primi gradus D. Sanctij vocatæ, quam D. Maria Victoria, quæ vt neptis, fuit solum in verbis; *Y sus descendientes legitimos* comprehensa.

Quæ D. Margaritæ prædilectior vocatio, inferri etiam prætenditur, ex dictione, *sus hijas*. Cuius virtute, solum de filiabus primi gradus, fuisse D. Laurentium loqutum arbitrantur, ex dictione restrictiva *suus*, si non ad destruendam vinculi perpetuitatem, saltem ad effectum prælationis, inter D. Margaritam, vt filiam primi gradus, & D. Mariam Victoriam, vt neptem: Quæ cum fuerit sub nomine collectivo, *descendentium* vocata. Et illa, sub appellativo, *sus hijas*, ex eo etiam infertur, in filiabus primi gradus D. Sanctij, prædilectior vocatio.

Supradicta objectio, duas continet partes, quibus discretivè satisfiet; In prima asseritur, Prærogativas lineæ substantiæ, & succesionis, à D. Antonio, eiusque Parente acquisitas, derivari non posse in D. Mariam Victoriam; Quia illas, vt successores maioratus agnatitij acquisierunt.

Sed licèt ex supradicta qualitate agnatitia, fuerit illis maio-

ioratus delata succesio, & D. Maria Victoria incapax sit, eo modo succedendi, quia in primis clausulis, contemplata fuit rigurosa agnatio masculinitatis, sed eo non obstante, firmiter intelligimus, supradictas lineæ prærogativas, contra D. Margaritam, fuisse transfussas in favorem D. Mariæ Victoriæ.

Quia si D. Laurentius, eius pro avus, tres species distinctas maioratuum, in prædicta pactorum nuptialium scriptura instituisset, *veluti, Agnationis, simplicis masculinitatis, & regularis ordinarij*, & D. Sanctius, tres filios masculos procreasset; Eo defuncto, succederet, virtute maioratus agnatitij, filius maior natu, Eoque decedente cum vnica filia, filius secundogenitus, Istoque postea defuncto, cum altera filia (si tempore delatæ successionis, iam decesisset filius tertiogenitus, relicto nepote cognato) succederet etiam iste, in vim maioratus simplicis masculinitatis; Eoque deinceps sine liberis decedente, prius succedere deberet, filia primogeniti filij, quam secundogeniti: Quia sicuti de aqua dicimus, ac quotidie experimur, quæ sua natura mobilis, & divisioni, fluxuique per facilis, quoties a suo naturali albeo per tubos, seu fistulas ad bibendum, sive ad irrigandum divertitur, eo ipso, quod illæ aquarum venæ, & canales, per quas ducebatur, obturantur, vel quoquo modo impediantur, non novos, neque inusitatos, quęrit subterraneos curriculos, sed perenni lapsu, ad pristinum, & naturalem fluxum prolabitur, deorsumque tendit; Ita & similiter, de succesione maioratuum, iudicandum erit; Illa namque à vinculante, veluti à fonte, & principio, per varias filiorum, & descendentium lineas, labitur, & derivatur; Quæ cum per lineam filij primogeniti dicti D. Sanctij, fluere ac discurrere cœpisset, & ab illa, propter defficientiam lineæ masculinæ (vt supponitur) suspensive recesserit, & ex eo, in filij secundogeniti lineam intraverit, & postea in lineam tertiogeniti, virtute maioratus simplicis masculinitatis; Isto sine liberis decedente, ex quo ad lineam descendentium fœminarum additus in vim maioratus regularis aperitur, facilior erit regressus, & continuatio, ad illam veterem, primevamque lineam filij primogeniti, quam ad lineam secundogeniti; Si enim natura ipsa invitat, cur, & maioratus institutorem, naturam ipsam sequi, & imitari, credendum non erit?

Ergo, quia D. Sanctius, eiusque filius primogenitus (& si vt agnati successerint) prærogativas lineæ, respectu trium specierum maioratus adquisierunt. Aliter enim, filius secundogenitus, non excluderet filiam primogeniti, virtute maioratus agnatitij: Neque nepos cognatus, filij tertiogeniti, filias, primo & secundogeniti filiorum, in vim maioratus simplicis masculinitatis: Neque isto sine liberis decedente, succederet filia primogeniti, in concursu filiæ, secundogeniti, qui supponitur penultimus maioratus successor; Et si hoc in regressu succesionis ad primam lineam procederet, potentius, & efficacius est observandum, in filia vltimi possessoris.

Et quamvis libenter fateamur, primogenituram lineæ, attendi non debere, quando alia (& si posterior)

est qualificata ex magis prædilecta, & specifica vocatione; Sed istã in D. Margarita eiusque descendentibus concurrere, contra filiam D. Antonij primogeniti, & vltimi successoris, absque hæsitatione negamus.

Quia cum vinculans disposuerit, inter filias, & descendẽtes. D. Sanctij, fore perpetuo regulandam successionem, *per viã maioratus* (quod idem est, ac si diceret) *ordine servato primogenituræ*; Illa filiarum, vel descendentium fœminarum D. Sanctij, censeri debet, habere magis specificam, & prædilectam vocationẽ, & esse in linea magis qualificata, cui ordo primogenituræ, & maioratus ordinarij quatuor regulæ asistunt.

Ex quo, neque attendenda est prioritas in ordine scripturæ, ex eo, quod prius filiæ, quam descendentes, sint in ea scriptæ; Nec quod filiæ, sub appellativo nomine; Et neptis sub collectivo descendentium, sint vocatæ; Nec minus, quod ista non sit comprehensa in verbo: *Sus hijas*, ex dictione restrictiva: *Sus*. Et quia vinculans discretivè fuit loqutus, de filiabus, & descendẽtibus, Quo in casu; Nepotes, & vlterioris gradus, *appellatione filiorum*, non comprehenduntur: Quia D. Laurentius, non tam ex eo, quam ex *ordine primogenituræ, & maioratus regulis* deferendam succesionem, inter filias, & descendentes D. Sanctij, stabilivit.

Et licèt, si in dicta *clausula 9.* essent substituti, *D. Sanctius eiusque filiæ*, non continuato verbo *descendentes*; Cõtendere posset, D. Margarita succesionem, vt filia D. Sanctij, contra D. Mariam Victoriam illius neptem; asserendo *filiarum D. Sanctij appellatione*, maxime adhibita dictione restrictiva, *suus*. Neptem non comprehendi, & præcipuè ad prælationem filiæ primi gradus: Sed cum substitutæ sint non solum filiæ, sed descendentes, & ordinæ primogenituræ, Cessat in præsentiarum prædicta difficultas; super qua (vt superflua ad huius causæ decisionem) non interponere iudicium decrevimus.

Ex quibus rectè infertur; Idem Iudicium sumendum esse super decisione præsentis litis, Ac si vinculans in dicta *clausula 9.* substituisset *filias, & descendentes legitimos D. Sanctij, ordine primogenituræ servato*; In quibus terminis, (repulsa iam à Tribunalibus, antiqua *Patrui*, & *Nepotis* quæstione) Nullius etiam Advocati mercenarium patrocinium prestantis, quamtumvis, alicuius Iudicis, Iustitiam moderantis, Anceps posset esse Iudicium, pro declaranda maioratus succesione, in favorem. D. Mariæ Victoriæ, primogeniti, & vltimi possessoris filiæ, contra eius Amitam. D. Margaritam.

Et si in dicta clausula, fuerunt filiæ, & descendentes legitimi vocati, adjecta dictione restrictiva *suus*; Ex eo fuit; Quia etiam in ea, substitutus reperitur ipse. D. Sanctius, ibi: *Sucedan D. Sancho, sus hijas, y descendientes legitimos*; Ex quo; Cum incepta fuerit vocatio in persona D. Sanctij, fuit necesse vinculanti, loquenti postea, de filiabus, & descendentibus, adijcere in eis, dictionem restrictivam, *suus*: Non tam animo restringendi vocationẽ; Quam demonstrandi, dessicientibus primis institutis, retrogradandam esse ad personam D. Sanctij succesionem; (si superviveret) & eo defun-

functo, continuandam in filias, & descendentes legitimos illius, ordine maioratus, & primogenituræ servato.

Et si censeretur, D. Margaritam habere in *clausula 9.* magis specificam vocationem, & ex eo, meliorem lineæ prærogativam, non solum sibi, sed eius descendentibus eam acquireret: Ex quo, sicut prætenditur esse nunc præferendam D. Mariæ Victoriæ; Posset idem prætendere aliqua filia vel descendens etiam si eius mater D. Margarita decesisset, ante obitum D. Antonij, eius fratris vltimi possessoris; quod alienum à voluntate Vinculantis videtur; Cum eo in casu, esset successionis controversia; inter duas. D. Laurentij abneptes, & vtrasque ab eo incognitas: Disonumque esset, Abneptem ex filia procedentem; Præcedere debere, filiæ vltimi successoris, quæ etiam erat eiusdem Vinculantis abneptis:

Vlterius. D. Margarita, & D. Maria Victoria fuerunt à D. Laurentio incognitæ, ex quo ille, non poterat magis diligere D. Margaritam; Quia inter incognitos, non datur maior prædilectio; Et cum vtræque descendant à D. Sanctio, primo maioratus successore, & D. Maria Victoria, ex filio primogenito D. Antonio, illius etiam possessore; Maior affectio Vinculantis esse à iure præsumitur, respectu D. Mariæ Victoriæ; Quia maioratu regulari constituto, prædilectæ censentur descendentes fœminæ, à filio primogenito, quam filius masculus secundogenitus, & eius descendentes.

Deinde D. Maria Victoria, vt neptis D. Sanctij primi donatarij, illiusque descendentes, non inveniuntur in dicta *clausula 9.* expresse substituti, filiabus primi gradus dicti D. Sāctij, illarūque descēdētibus, *vt fuit in casu decisionis Granatēsis, ex adverso opositæ*, Ergo cū in eadē, ac idēptifica vocatione, substitutæ repetiantur in *clausula 9.* tam filiæ primi gradus D. Sanctij, quam omnes descendentes fœminæ, & masculi illius; Et inter omnes supradictos, voluerit. D. Laurentius, ad successionem maioratus, primogenituræ ordinem, servari; Vel fateri debet, D. Mariam Victoriam, eiusque descendentes esse perpetuo a successione exclusos, (quod affirmari nequit) vel si illorū vocatio concedatur, cum prælatione filiarum primi gradus, est agnoscenda; Quia ordo primogenituræ, quatuorque, maioratus ordinarij, regulæ, dictæ. D. Mariæ Victoriæ, suposita illius vocatione, ei assistunt.

Ex quo etiam infertur; Quod & si omnia supradicta, non adeo certa, & indubitabilia essent; Sed cum ambigi saltē nequeat, maxima probabilitate, non carere, hæc sufficiēs censeri debet, vt in favorem D. Mariæ Victoriæ sententia sit ferenda; *Quia vt asseruit Motivum nostri Regij Senatus, in supradicta causa Varoniæ de Torres*. Filia vltimi possessoris, fundatam intentionem habet omni iure, divino, naturali, canonico, & civili, & maioratuum regulis; Quæ vehementer resistunt, masculis, & fœminis alterius lineæ; Vnde evenit, istos indigere indubitato iure, & clara, literali, & specifica vocatione; Nam in triplici statu, quo lites super exclusione, vel admissione filiarum, vltimi possessoris, versari possūt, Videlicet, quod lis

lis sit clara pro masculo aut fœmina remotioris lineæ, vel sit clara, vel dubia, pro filia vltimi possessoris, solum quando masculus, vel fœmina vlterioris lineæ, habent literalem, & specificam vocationem, in favorem illorum est declarãda successio; Et in dubio, pro filia vltimi successoris Iudicandum; Præcipue in articulo tenutario, & litis pendentiæ, in quo, ex frequẽtiori *DD.* calculo, in possessionem mittitur; donec aliqua viget credendi ratio, ipsam esse, successionis capacem.

Ex eisdem rationibus, ex quibus recipitur propositio D. Mariæ Victoriæ, reijciuntur petitiones. D. Theresiæ Lopez de Heredia, bonorum libertatem, vt hæredis eius viri D. Antonij contendentis; Et D. Margaritæ Abarca, quam obtulerat, virtute crediti dotalis, in eius pactis nuptialibus, a D. Victoria Vilanova, eius matre, promissi; Quia cum ista, vt hæres fideicommissaria D. Sanctij Abarca, eius prædefuncti viri, donationem fecerit, in istius hypotecha, nequeunt esse bona vinculata comprehensa, quia non erant, in hæreditate fideicommissaria D. Sanctij eius vxori relicta.

Denique reijcitur propositio eiusdem D. Mariæ Theresiæ, in ea supplicantis satisfieri, vt hæredi eius viri D. Antonij Abarca, super bonis numerorum *primi, septimi, & octavi*, quantitatem quinque mile, septem centum, sexaginta, & vnius librarum Iaccensium, cum privilegio retentionis bonorum, fructibusque non computatis in sortem principalem, vsque ad prædictam concurrentem quantitatem, pro impensis, & meliorationibus in eisdem a D. Antonio factis.

Nam adhuc, quando de eis, in processu cõstaret (quod aliqua difficultate non caret, saltem respectu maioris summæ, & partis meliorationum) Illarum satisfactionem non procedere censemus; Quia ommissa quæstione. *Vtrum hæres possessoris maioratus, contra successorem, maxime cum privilegio retentionis, valeat impensarum æstimationem exigere*; Quæ tam in terminis iuris dispositionum, quã *legis 46. Tauri*, diffuse disputata, & variè decissa reperitur; Sed cũ. D. Maria Theresia gravata sit integram hæreditatem eius filiæ D. Mariæ Victoriæ restituere, a mente eius viri dissonum videtur, quod in præiuditium eius filiæ, cui maioratus successionem pertinere declaratur, valeat D. Maria Theresia impensas (vltra eius viduitatem) deducere; Et sicut, si D. Maria Victoria, esset à suo Parente, hæres instituta, prætendere non valeret, a se ipsa impensas exigere, quousque per obitum illius, alteri descendenti, esset maioratus successio delata; Ita nec D. Mariã Theresiam, in præiuditiũ eius filiæ hæredis fideicommissariæ, non posse illas deducere, tres ex Dominis Regijs Consiliarijs, qui in favorem D. Mariæ Victoriæ sententiã pronunciarunt, merito censuerunt; *Et aliás attent. contt.*

ATTA-

ALII DVO EX DOMINIS de Regio Consilio fuerunt eiusdem voti,& opinionis ex motivis superius præstitis, dempto quod, respectu successionis Maioratus instituti per Laurẽtium Abarca, quod tenetur,& debet pronunciare,& recipere propositionẽ, Antonij Abarca, olim Perez de Nueros, princ. Iosephi Ondeano, Proc. præstita cautione forali,& alter ex dictis Duobus Dominis, respectu meliorationum fuit voti, & opinionis, quod debet mandare fieri cõtenta in propositione, Dom. Mariæ Theresiæ Lopez de Heredia, princ. Emiliani Martinez Proc. Ex eo, & alias. Nam supposita descendentia dicti Antonij, & renuntiatione Domnæ Margaritæ eius matris, in illius favorem facta; & attenta scriptura fundationis maioratus ordinati per dictum Laurentium Abarca in tabulis nuptialibus Sanctij eius filij primogeniti, cum Elisabeth Azcon, satis detegitur voluntas donatoris, qui ad perpetuandum nomen familiæ, duos maioratus ordinavit, in quibus descendentes vocavit ad successionem; vnum, & præcipuum agnatitiæ masculinitatis, delinearum in prioribus clausulis, vsque ad nonam; alterum, & subsidiariũ, successionis simplicis,& regularis fœminarum,& masculorum, ex clausula nonà. His præhabitis, & defecta successione masculorum agnatorum ex Sanctio, & Ioanne fratribus, filijs dicti Laurentij Abarca donatoris, & ex ipso Laurentio, ob mortem Dom Antonij nepotis ex Sanctio vltimo defuncti, relicta filia Domna Maria Victoria pupila, quæstio præsentis causæ in secunda specie maioratus versatur, & successionem contendunt Antonius Abarca, olim Perez de Nueros nepos dicti Laurentij ex Domna Margarita matre, & istius cessionarius, & tutores Domnæ Mariæ Victoriæ Abarca pupilæ, filiæ dicti Dom Antonij Abarca vltimi possessoris defuncti, & proneptis dicti Laurentij; Quæ terminari debet in favorem dicti Antonij Abarca, olim Perez de Nueros, ex sequentibus fundamentis Iuridicis, & solidis rationibus de promptis ex litera scripturæ pactorum dotalium, & coniecturata mente Laurentij donatoris: Nam in Aragonia, vbi standum est chartæ, & vbi voluntas disponentis est suprema lex, quæ defert successionem maioratus; vbi apertè nõ loquitur, per coniecturas literales elicitur. Et veniendo ad rem; constat ex litera dictæ scripturæ Laurentium donatorem radicasse in filio Sanctio duas species maioratus ad transmitendam successionem bonorum in familia, vt diximus supra; masculinum agnatitium; & etiam fœmeninum, simplicem, & regularem in descendentia filiarum dicti Sanctij, vt ex clausula nona apertè deprehenditur; siquidem in defectum masculorum agnatorum descendentium ex Sanctio, Ioanne, & Laurentio, substituit ipsummet Sãctium, eiusque filias legitimas, & descendentes ex eis his verbis: *Y faltando la descendencia legitima de Masculos de los dichos D. Sancho Abarca, D. Iuã Abarca, y Lorenço Abarca, segun es dicho respectivamente ---- sucedan --- el dicho D. Sancho Abarca, y sus hijas hembras legitimas, y sus descendientes,* &c. ex cuius dispositione educuntur duæ conclusiones Iuri-

 di-

dicæ: Prima, quod gerundium *faltando*, respicit tempus futurum cō. ditionale, & æquivalet ac si dixisset, *siempre que faltaren*. Secunda, quod pronomina adiectiva *sus*, denotant proximitatem, & immediationem, ac si proprio nomine connotasset filias Dom Sanctij; atque ita, deficiente successione virili agnaticia in Dom Antonio Abarca vltimo possessore bonorum maioratus prior, & præcipua species illius evanuit, & omnis dispositio transmutata fuit in secundam speciem ac si à principio Laurentium nullū verbum fecisset de maioratu agnatitio, & donasset bona Sanctio, & eius filiabus, quæ substitutæ fuerūt vltimo masculo agnato: ac proinde successio aperta fuit Domnæ Margaritæ filiæ Sanctij, & deferri debet eius filio Primogenito Antonio, eiusdem cessionario. Quin obstare valeant quæ pro Domna Maria Victoria ponderantur: Nō quod est filia vltimi possessoris, & habetur in linea recta actualis successionis; nam in maioratibus irregularibus solum attenditur linea qualitatis, quæ tantum est successibilis, non verò substantiæ, sive sanguinis; atque ita ordo successionis frequenter translineat in his maioratibus, quærendo qualitatem, potiùs quam proximitatem vltimi possessoris; ac proinde, & si Domna Maria Victoria sit descendens, & persona producta ex linea actualis successionis; qùm in patre Dom Antonio evacuata fuerit illa linea, & evanuerit maioratus masculinus agnatitius, transmutatusque fuerit ordo successionis in secundam speciem regularis, incipiendo iterum in Sanctio, & illius filiabus; nullum ius, neque vllam prærrogativam lineæ potuit assumere Domna Maria Victoria à patre Dom Antonio, qui successit vigore vocationis maioratus agnatitij, & continuationis lineæ masculinæ, quæ tamquam linea qualificata, & penitus extincta, prosequi nequit in Domna Maria Victoria, cui defecit qualitas virilis ad prosecusionem lineæ, & ad assumendum ius, & prærrogativā illius; nam non entis nulli producuntur effectus: & cum ob mortem Dom Antonij finierit maioratus irregularis, & inceperit regularis in persona Sanctij expresse nominati à fundatore, & in eiusdem filiabus; Domna Maria Victoria, quæ non est filia filiarum Dom Sanctij, nec habet vocationem in prioribus clausulis maioratus regularis, vincere nequit Domnam Margaritam filiam dicti Sanctij, substitutam masculis agnatis maioratus irregularis, & invitatam in clausula prima regularis. Quod vno, & altero exemplo, seu figuratione casus contingibilis, apertiùs suadebitur: Supponimus Sanctium nullum habuisse filium, præter Margaritam, successisse Ioannem fratrem, posteaque decessisse relicta filia; hæc, & si filia Ioannis vltimi possessoris, & de linea actualis successionis, poterit vincere Margaritam, expressè vocatam in defectum lineæ masculinæ, & primo invitatam verbis apertis clausulæ nonæ? Nequaquam. *Aliud*: Supponimus Sanctium contemplatione matrimonij renuntiasse maioratum in favorem Antonij, & decessisse Antonium relicta filia Maria Victoria, & vivo Sanctio patre (qui est casus figuratus in scriptura istorum maioratuum;) poterit

Dom-

Domna Maria Victoria contendere succesſionem cum Dom Sanctio avo; abſque dubio, & hæſitatione obtinere debuiſſet Sanctius; non quia maſculus agnatus: id enim eſſet quærere vocationis maioratus penitùs extincti, de quo nec quæſtio, nec ſermo, in noſtra ſpecie, nec in præſenti lite; ſed vt ſubſtitutus in defectum lineæ maſculinæ maioratus irregularis agnatitijs, & vt radix, & principium maioratus ſimplicis regularis. Hæc quæ in Sanctio nullo modo tergiverſari poſſunt, æqua lançe procedunt in Margarita, quæ ſucceſſura foret Sanctio patri, ſi viveret, & eo prædefuncto, eius locũ tenet verbis apertis dictæ clauſulæ nonæ. Supradictis opponitur, quod Dom Antonius, & ſi non continuavit lineam virilem, tamen produxit lineam fęmeninam, & fuit radix illius, vt in defectum maſculorum agnatorum, ſuccederent eius filiæ, & deſcendentes ab eis, aliàs nullam vocationem haberent filiæ filiorum Dom Sanctij, & perpetuo arcerentur à ſucceſsione, quod abſurdum foret in maioratum, qui ſecundum memtem diſponentis, & perpetuus cenſeri debet, & inſtitutus ad conſervationem familiæ; perpetuandumque nomen cum ſplendore: Et cum hæc voluntas æquè adimpleri valeat incipiendo à nepte, ſicut à filia Sanctij, & regulariter ſucceſsio non aſcendat, ſed potiùs deſcendat, præferenda eſt neptis Domna Maria Victoria (quæ habetur in linea recta ſucceſsionis) Margaritæ, quæ poſtergata extitit per exiſtentiam, & ſucceſsionem Dom Antonij. Sed hæc inſtantia parvi pendenda eſt proptèr literalem, & expreſſam voluntatem diſponentis, qui ſecundam ſpeciem maioratus radicare voluit in ipſo Dom Sanctio, & in illius filiabus, non verò in neptibus: & licet concedatur ſuppoſitum, ſcilicet deſcendentes maſculos lineæ virilis, non ſolum continuare lineas qualitatis, ſed & producere poſſe lineas habitualis ſucceſsionis, vt admittantur deſcendentes ex eis, in defectum lineæ maſculinæ: Id tamen accipiendum eſt ſine præiuditio linearum anteriorum filiarum Dom Sanctij, quæ habent prælationem expreſſam, & claram in dicta clauſula nona: Nam deſcendentes per lineas ſubſtantiæ ex filiabus filiorũ Dom Sanctij, tantummodo habere poſſunt vocationes ſubintellectas favore perpetuitatis maioratus regularis, & virtualis repetitionis clauſularum quintæ, & ſextæ, quæ ſub audiuntur is verbis: *Con las miſmas probibicion, y facultad, condiciones, y llamamientos, y forma arriba en dicho Don Sancho Abarca, y ſus deſcendientes ſpecificados*, dictæ clauſulæ nonæ, & duodecimæ; reſpectu facultatis conceſſæ vltimo deſcendenti filiarum Dom Sanctij, eligendi ſucceſſorem in maioratu alium deſcendentem, ex lineis inferioribus; & caſu quo non elegerit invitavit proximiorem. Aliàs filiæ filiorum Dom Sanctij, & earum deſcendentes, plane excluſi remanerent; ſiquidem in noſtro Regno Aragonum pręter voluntatem diſponentis, non habemus legem vocationes extendentem, ad continuandam ſucceſsionem maioratus, ſicut in Regnis Caſtellæ, & vocationes non porriguntur vltra lineas, & gradus à diſponen-

te ordinatos vt tritum, & comprobatum est in Senatibus Regni. Nec supradictis efficere valet replicatio, scilicet appellatione filiarum, neptes contineri, cùm & leges, & ipsa *natura nos quoque docet parentes pios qui liberorum procreãdorum animo, & voto vxores ducunt; filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, continere. Nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quam filij appellare. Etenim idcirco filios filiasvé concepimus, atque edimus, vt ex prole eorum earumvé diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus.* Quod magis iusta interpretatione recipiendum est in maioratibus, quorum bona vinculata progeniem, & memoriam familiæ conservant in ævum, & illustrant. Siquidem, & disponente foro nostro in succesionibus fideicommissarijs, mortuo filio primogenito, nepos ascendit in locum filij, occupat primum gradum patris, & per subingresionem efficitur primogenitus avò, ad excludendum patrum. Ac proinde Domnam Mariam Victoriam locum filiæ primogenitæ Sanctij obtinere, & vocationem habere in dicta clausula nona. Nam & si hæc locum sibi vindicent in maioratibus in esse productis (quorũ perpetuitas favorabilis est) quãdo neptes, & vlteriores liberi contendunt conservare in familiæ bona avita vinculata, vt memoria maiorum, & decus familiæ in æternum producatur, contra eos qui extinguere capiunt, & alienare bona fideicommissa tamquam libera; locum tamen non habent quando lis, & quæstio est super prælatione vocationis inter filiam, & neptem, transversales, & substitutas masculis agnatis, vel certo generi, aut gradui personarum, sub appellatione filiarum fundatoris, fratris, vel alterius determinatæ, & specificæ personæ, & concurrit filia secundo genita, cum nepte filiæ primogenitæ illius personæ specificatæ; quia cum in his casibus non agatur de libertate, nec de perpetuitate maioratus, cessat favor, & pietas parentum, quę dulciore interpretatione, nomine filiorum, nepotes amplexavit; atque ita in prælatione successionis bonorum Vinculo subiectorum proprietati, & analagiæ verborum (secundum mentem disponentis, naturam ipsam, & leges) adherere tenemur; & cum *aliter filij*, *aliter nepotes nuncupentur*, nisi aliud suaserit evidens voluntas fundatoris, aut vrgens coniectura; filiorum appellatione, nepotes non contineri; non solum nominum proprietas, (cum quibus gradus descendentium discernuntur) sed, & leges proclamant. Quod ita percipere debemus ad coniecturandam mentem disponentis, adhuc in casu dubio, & æquivoco; etenim nomina sunt signa, & demonstrationes animi ad aperiendam mentem loquentis; & filij, & nepotes, habent suas, & proprias appellationes, quibus opus non esset, si vnum nomen ambobus sufficeret: contrarium verò nullo modo suadiri potest, nisi disponens verùm *nepotem*, Petrum, exempli gratia, nuncupaverit *filium Petrum*; vel in vna, periodo scripturæ *nepotem*, & in alia, *filium* appellaverit; aut alio signo extrinseco demonstrativo personæ connotaverit; quia cum id sit fictè, & contra ordinem naturæ, alio modo comprehendi non valet;

let; siquidem in effectu ambigi non potest, *nepotem*, esse *filium* alterius patris, & matris. Neque beneficia natura conspirare potest, vt *nepos* assumat nomen *filij* in præiuditium filij veri naturalis, quæ ardenti charitate plus diligit proximiorem gradu, & ad similitudinem ignis, quanto quis distat ab eo, tantò magis sepescit, ita amor naturalis parentum, plus diligit filios, quam nepotes, &c. Hæc in Aragonia vbi standum est chartæ, & verba in rigorosa, & propria significatione accipi debent evidentiora sunt, & tanto magis adiecta dictione, *sus*, quæ immediationem significat cùm Dom Sanctio patre, in quo etiam detegitur voluntas, & intentio Laurentij disponentis, vt filiæ Sanctij succederent in defectum lineæ masculinæ; nam & si istæ non habeant vocationes ex propria persona, quia maioratus institutus fuit in scriptura matrimoniali, & cognitæ non fuerunt, nec poterant esse Laurentio vinculanti, tamen non alio nomine invitare potuit magis specifico, & demonstrativo, quam expressione & nominatione patris, scilicet. *succedan el dicho Don Sancho Abarca, y sus hijas hembras legitimas*. Denique quod obijcitur cū dispositione fori de fideicommissis, & si aliqualem similitudinem affectet, tamen applicari nō valet nostræ disputationi; nam vltra quod forus tantùm cōstitutus fuit ad decidendum quæstionem patrui, & nepotis in terminos simplicibus, quæ illo ævò tamquam nodus Gordianus habebatur; necesse erat, vt maioratus conservaret naturam quā primo assumpsit, scilicet virilis, agnationis, vel regularis ordinarij, vt beneficio repræsentationis, nepos gradiretur, & ascenderet in locum, & gradum filij prædefuncti; quod licet sit mera fictio excogitata ab interpretibus iuris, ad conservandā prærrogativam lineæ, & approximandum vltimo possessori illius lineæ, remotiorem gradu; cum vel legibus municipalibus, vel vsu longævo in praxi comprobata sit, rectè procedit. At ver[o]; quando maioratus virilis agnationis amittit naturam primævam, & transmutatur in speciem fœmenin[am], incipiendo à persona determinata seu designata à fundatore, neptis ex filio vltimi possessoris, in quo evanuit prima species maioratus, repræsentare nō potest personam patris, neque eius locum, & gradum ingred[i], quùm omni sensu incompatibile sit; tùm quia fœmina repræsentare non potest marem lineæ virilis; tùm etiam, quia si filia repræsentaret patrem, conservaret lineam virilem p[o]nitus evacuatam, maioratus annichilari, quæ si existere posset, impediret progressum successionis per secundam speciem; quapropter Domna Maria Victoria, repræsentare non potest personam Don Anto[n]ij patris, nec eius locum ingredi; atque ita si iuvare non valet prærrogativa lineæ, neque argum[en]tis, q[u]æ iuxta Forum de fideicommissis, exaltari possunt.

Et licèt quando institutor maioratus virilis agnationis in defectū masculorum progreditur simpliciter, informando maioratum regularem ordinarium, filia vltimi possessoris maioratus masculini præ[f]erri valeat, filiæ primi adquirentis sive

 suc-

successoris in maioratu(in quo scholæ Doctorum scinditur): Qui affirmativam defendunt sententiam, pro filia, vel sorore vltimi possessoris agnati, inhærent duobus, & præcipuis argumentis: Primo, quia regulater in maioratibus debet succedere proximior vltimo possessori, ne confusio, & lis perpetua inter omnes de familia sequatur; in quo attenditur proximitas gradus, ad tribuendum prærrogativam lineis fœmeninis, quæ omnes fœminæ descendentes per lineas contentivas fundatoris constituerunt, provt nascebantur, sibi, & descendentibus suis, & efficiebantur capita, & principium illarum. Secundo, quia invitando fœminas nomine collectivo, absque nota prælationis, institutor tantummodo respexit perpetuitatem; & cum in huiusmodi vocationibus non detegatur plus amoris in vna, quam in alia fœmina, & tam filia vltimi possessoris, quam primi adquirentis, possit propagare descendentiam, præferenda est in successione, quæ proximior est vltimo possessori. At verò quando non collectivo nomine, sed specifico, vel demonstrativo invitatur alia fœmina; etiam Doctores qui supradictam opinionem tuentur, subscribunt negativæ sententiæ, contra filiam vltimi possessoris masculi agnati; & consequenter cum in successione huius maioratus Domna Maria Victoria vocationem nô habeat nisi virtute clausularum maioratus regularis; & in ingressum illius Dom Sanctius habeat vocationem ex propria persona, & eius filia specificam; & haberi debeat respectus ad Dom Sãctium avum, & eius filias, gradu præfertur Domna Margarita, Domnæ Mariæ Victoriæ nepti, quæ sub nomine collectivo filiarum comprehendi desiderat.

SIG ✠ NVM mei Alberti Antonij Iubero, Scribæ Mandati suæ Maiestatis, Secretarij Regiæ Audientiæ præsentis Regni Aragonum, & in Civitate Cæsaraugustæ domiciliati, qui huiusmodi vota, & motiva, à libro motivorum de anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, vbi continuata existunt, extraxi, comprobavi, & signavi.